


runt : altitudo autem Trianguli dupla fuerit ad altitudinem Parallelogrammi : erunt ambo aequalia.

Prius ex dupla Trianguli basi, æquali autem altitudine concludebatur utriusque æqualitas : jam æquè certè æquatur Triangulum  $ABE$  Parallelogrammo  $ABCD$ , quia basis  $AB$  communis, altitudo autem Trianguli  $EF$  dupla respectu altitudinis Parallelogrammi  $CF$ .



### Sequuntur Problemata.

**PROBL. I.** Datis duobus quadratis inæqualibus quomodo alia duo quadrata inveniri debeant, quæ & equalia inter se sint & simul sumta equalia etiam duobus prioribus inæqualibus quadratis datis.

Sunto datae duæ lineæ  $AC$  &  $CB$  inæquales, quarum potentia necessariò etiam æquales sunt : sintq; inveniendæ aliæ duæ lineæ inter se æquales, & quæ si simul sumantur, idem possint, quod priores datae simul sumtæ. Applicetur una alteri ad perpendiculum ita, ut in concursu mutuo ad  $C$  angulum Rectum faciant, connectanturq; earum extrema reliqua  $A$  &  $B$  per lineam  $AB$ . Deinde sumatur  $DE$  linea lineæ  $AB$  jam ductæ æqualis, describaturq; super eâ juxta *Probl. V. cap. VI. p. 33.* Triangulum Rectangulum Equicrurum, ut scilicet  $DF$  &  $FE$  crura anguli Recti  $DFE$  æqualia fiant. Quia igitur hypotenusæ  $AB$  &  $DE$  æquantur in utroq; Triangulo Rectangulo, necessario etiam per *Theorema IX. hujus capituli* æquabuntur quadrata crurum  $DF$  &  $FE$  Trianguli  $DEF$  simul sumta, interq; se æqualia quadratis crurum  $CA$  &  $CB$  Trianguli  $ABC$ , ex mente Problematis.

